388
386
392
382
397
377
437
337
487
287

bus suis diebus, unde in tribus diebus XXII millia Christianorum sunt occisa propter fidem ab eis.

Diocletianus primus violavit imperatorum humilitatem et vestibus ac calceamentis gemmas inseruit. Alibi legi, quod nuntiis ad se venientibus praecepit jugulare superiorem et omnium inferiorem ambos, et secunda vice iterum duos, et tertia similiter.

Polam ergo postergavimus et cum bono vento navigantes a longe Rubinam civitatem vidimus, in cujus aspectu novo laetitiae jubilo affecti sumus, quia erat primus portus, quem apprehendimus in exitu nostro de Venetiis, ut patet supra P. I. Fol. 58. In meridie mutatus est ventus, et rostra classis in portum Rubinae civitatis convertimus, de quo bene fui contentus, ut in navem meam et cumbam propriam revenirem, nemo enim in nostra navi sciebat, me esse in classe, sed putabant, me Jadrae mansisse, vel aliquod diffortunium passum fuisse, vel periisse. Nescio autem quo casu accidit, quod galea, in qua eram, quamvis ultima de portu Jadrino educta fuerit, in tempestate tamen projecta ante cunctas galeas prima in portu Rubino fuit. Quam statim autem in portum venimus, ante introductionem aliarum navium, cum nobilibus peregrinis scaphis ad terram ducti in civitatem ascendimus ad vesperas, quae actu pulsabantur in ecclesia S. Euphemiae; nobis in choro stantibus venit patronus galeae meae cum dominis et peregrinis sociis meis, et videntes me quasi monstrum inspexerunt, mirantes, cum quo venissem, et congratulabantur mihi de fortuna mea. Post vesperas videns ecclesiae praepositus ecclesiam esse repletam hominibus, reseravit tumbam beatae virginis Euphemiae, in qua corpus ejus quiescit, et ibi deosculati sumus sanctas (b) martyris reliquias. Legi etiam ibi in libro chori pulchram historiam, quomodo miraculose de Chalcedonia, ubi fuit martyrizata, fuit huc translata. Chalcedonia est urbs in Asia minori, in littore Bassori pelagi sita, ex opposito Constantinopolis, sicut superius Fol. 176 dictum est, in qua Euphemia filia Senatoris sub Diocletiana persecutione a Prisco consule martyrium mirabili agone consummavit superatis inauditis poenis, ut habetur in ejus Legenda. Eam itaque mortuam Christiani cum honore sepelierunt, construentes ei ecclesiam supra petram, quae de littore in mare prominebat, et aqua sub ipsa petra in terrae viscera intrabat, meritis enim beatae martyris in brevi tota Chalcedonia ad fidem fuit con-

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;